RARIORES

OBSERV. MEDICO-PRACTICO-ANATOMICÆ

A DOCT.

CASPARO M. FORLANI

MEDICO-PHYSICO, AC CHIRURGO

ET

IN SENENSI ACADEMIA

PUBLICO PHYLOSOPHIÆ PROFESSORE

EDITÆ

DECAS PRIMA.






SENIS MDCCLXIX.


EX TYPOGRAPHIA ALOYSII, ET BENEDICTI BINDI

SUPERIORUM FACULTATE.





AD LECTOREM



Uamquam in dies Librorum copia, Medicorum potiſſimum undique obruimur, ut vix in tam anguſto humanæ vitæ curriculo, non ſtudioſi tantum tyrones, verum etiam ipſi in litteraria Republica emeriti viri tot jam vul-

gatas obſervationes Medico-Phyſico-Anatomicas animo vel leviter poſſint percurrere; Attamen, humaniſſime Lector, tibi non ingratum, moleſtumve fore confido, quod haſce meas in lucem ediderim. Satis quidem noveram, quàm parum illis, ſive eruditionis, ſive criticæ artis dotibus, quibus undique ætas noſtra cæteras antecellit, eſſem inſtructus; mihique optandum adhuc plane videbatur, quod in aliis ſuſcipere non deſino. Quamobrem nefas mihi in Republica litteraria gradum ullum vindicare intelligebam, ad quem viris tantum numeris omnibus abſolutis licet contendere: Quorſum (hæc animo me-

mecum verſabar) tenet inſanabile multos ſcribendi cacoethes, ægroque in corde ſeneſcit? (a) Quinam Tu inter eruditorum agmen elucubrationibus hiſce minutis aliquod te publico afferre poſſe arbitraris emolumentum, cum publicæ commoditati, & humani corporis ſaluti, viri ſapientiſſimi Morgagnus, Eruditiſſimus Haller, Friderig. Hoff--mannus, Bonettus, Hildanus, Heiſterus, Verheyenus, Cowpperus, Keiliſus cum notis D. Pauli, Malpighius, Burdonus, Mangetus, Drakius, Liſterus, Bohonius, Fantonius, Cheſeldenus, de arte Anatomica, Euſtachius cum notis Eruditiſs.

(a) V. Juvenal. Sat. 7.

Albini, Kulmus &c., cl. noſter Tabarrani, aliique celeberrimi Auctores inſudaverint, qui de aliqua humani corporis parte, vel de toto corpore egregie ſcripſerunt, pluresque adhuc alii inſudent? Qua demum ratione te juſtam cenſuram declinaturum confidis, cum ea ætate ad ſcribendum incumbas, qua vix optima probantur, qua minus perfecta ad Pharmacopolarum ſchedas ad complicandum piper condemnantur? At vero ſeria hæc mente volventi illud occurrit, litterarium campum ad eruditionis novæ flores excerpendos non ab iis tantum adiri, quorum eſt minus concinnos cenſoria virga ſecando notare, verum & ab

aliis,

aliis, quorum eſt non inutilis colligendo proficere, juxta Sectani monitum (a) -- ſcripſimus hæc animo dociles, ſtudioque juvandi, -- hinc veniam te daturum confido, ſi quid apud nos aut ſcribendo, aut ſcripta vulgando peccatum, ubi noveris, non cenodoxia, ſed juvandi prurigine peccatum: Enim vero, uti docet Medicorum Princeps Hippocrates (b), aliique ſapientiſſimi viri, qui in Medicis rebus operam navarunt, ſummam utilitatem ars Medica ex Hiſtoriis per minutas illas in humano corpore obſervationes, Anatomia duce, quotidie ſe capere gloriatur.

(a) V. Sat. 3.

(b) V. Epid.

Id equidem ab antiquis illis Medicæ artis prudentibus Græcis omni ſtudio, cura, atque exercitatione ſervatum eſſe comperimus: hinc undequaque ab iis votivæ tabulæ in templis Eſculapio, tamquam numini celebrato, dicatæ, in quibus morborum hiſtoriæ depictæ erant, veluti Medicinæ trophæa circumferebantur. Neque tamen ab omni cenſura immunes eſſe contendo Græcos illos ex ſcola *Coa* profluentes, cum figmenta multa & Chimeras de quibuſdam rebus nobis tradiderint, quas hiſce temporibus Medici accuratiſſimi penitus in abditam vitæ, & ſanitatis naturam lynceis, ut ita dicam, oculis inſpicientes, per Pra-

ctícas

ꝏicas obſervationes, & partium corporis noſtri, viſcerumque officia commodius, quam olim Græci explicaverunt. (a) Medicinæ profecto nihil opportunius potuit accidere, neque preſtantius, quam a noſtris inventus ſanguinis circuitus, veteribus incognitus, vel certe non rite nobis ab iis explanatus, quod quidem inventum anatomiæ practicæ obſervationibus debemus (b). Id autem cum primum prodiit, tanta lux ſcientiæ Me-

(a) V. cl. Verna de Plurit. P. 2. c. 1. p. 59. -- ait -- In Praxi enim quandoque minutia haud collecta, „ veluti minuta ſcintilla neglecta magnum ſæpe excitavit incendium, tam ad ægri ſalutis jacturam, quam „ nominis Medici ruinam &c. --

(b) V. cl. Arveuſ. Diſſ. de motu Cordis Francfourt. 1626.

Medicæ affulſit, ut inde Medicus diſtinctè macchinæ noſtræ vitam, æque ac ſanitatem potuerit perſpicere a continuis ingeſtionibus, & egeſtionibus, ex quibus ſanguis efficitur, quarum alterutra ſi deficiat, vel forte modum, aut proportionem excedat, ſanitas in humano corpore periclitari facile intelligatur (a). Verum enim vero, qui hæc, multaque alia theoremata in arte Medica ſuo perſcrutatus ſit ingenio, ſolidam ille medicinæ theoriam, & praxim potiſſimum, repetitis obſervationibus in ratiocinatione rectoque rationis uſu,

(a) V. Frid. Hoff-manus. Diſſ. 2. De recta, & ſimpliciſſ. Naturæ medendi methodo — Opuſc. Medico Practica.

ufu, & prudentia fundaffe dicendum eft; Unde optimè Hipp. (a) ait -- „ Quod Medicus omnia bene fundata ratiocinatione facere debeat, & quod opinio in medicina in crimine vertenda fit, „ quia perniciem affert -- Quod cum ita fit, quis porro ambiget afferere rationem Medici eam effe, quæ experientiam, & obfervationem dirigat, eafdemque medicas obfervationes, & experientias rationali judicio, & theorica deftitutas, infidam effe empiricen, mutilamque? Quis fana dubitaverit Philofophiam, ex qua magis, magifque ars noftra increvit, præcedere oportere Medicæ experientiæ,

(a) V. l. de Arte.

tiæ, & obſervationi? O vitæ Philoſophia dux, o virtutis indagatrix .... Quid non modo nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? (a) Quod ſi ita Medicus, Philoſophia duce, medicinam didicerit, tunc demum, & Pathologiam, ſive morborum notitiam ſecundum mechanica principia, & ſemioticam, ſive morborum prædictionem ex ſignis, denique Phyſiologiam, ſive doctrinam de uſu partium in anatomicis demonſtrationibus optimè cognoſcet, atque perpendet, ut ſapiens Philoſophus, qui teſte Hippocrate *Iſotheos* ideſt Deo ſimilis erit. Vulgaris etiam error ille eſt, ſi theo-

(a) Oppoſite ſcripſit Cicer. Tuſcul.

theorias in arte medica ab obſervationibus ſemotas, vel ab experientiis anatomicis rerum omnium magiſtris, perſcrutari velimus, cum in praxi medica, & Medici ratiocinatione ſumma rerum artis medicæ conſiſtat; Ex eo autem errore fit, ut remediorum uſum, & abuſum, in quo ordo medicinæ practicæ verſatur, ut optimè obſervat Fridericus Hoff--mannus; (a) perperam aliqui pſeudomedici diſtinguant; Quare nil mirum, quod noſtra etiam tempeſtate plerique hominum medicos iiſdem querimoniis, contumeliiſque proſequantur, quas olim

(a) V. Diff. De Naturæ, & Artis efficacia in medendo. Opuſ. 1. Medic. practica.

olim in artem illam, quam Deus O. M. in morborum remedium nobis e Cælo impertiri voluit miſeris -- Altiſſimus de Cœlo creavit Medicinam (a) pleno ore effundebant Ethnici,

Ars facit, ut valeant homines, ſed tempore noſtro
Non fruimur medicæ tam ſatis artis ope (b).

Atque id maximè fuit in cauſa, cur tibi, humaniſſime Lector, jure optimo haſce meas, qualeſcumque ſint Medico--Phyſico--Anatomicas obſervationes offerrem. Qua in re ſiquid me, fortunante Deo, profeciſse intelle-

(a) V. Eccleſ. 38.
(b) V. Ovidio.

lexero, bene collocatam putabo induſtriam meam, animoque erigar ad novas in dies elucubrationes exhibendas, juxta Venuſini effatum -- *Quod Medicorum eſt, promittunt Medici* (a) -- Vive, & bono, quo damus, accipias animo, & vale.



OBSER-

(a) V. L. 2. Epiſt. 1.



OBSERVATIO I.

AGricolæ uxor, Annorum triginta quatuor circiter, matrimonio coniuncta quinque ab hinc Annis, temperamenti colerico--melancolici ad cachexiam

tendentis, habitu corporis pingui, & ad laborem rure afsueta, jam duobus ab hinc annis filiam peperit, quæ adhuc profperam, ac vegetam vitam ducit. Tempore, quo malignæ (fic vulgo dictæ (a) exanthematicę febres Urbem incefserant, febre putrida petecchiali affecta fuit, ftatimque a familiari fuburbano chirurgo advocato fanguinis miffione è brachio ad uncias fere duodecim curata fuit, & abfque alio auxilio per duos fere dies relicta. Quarta vero die domeftici ex nulla ipfius morbi remiffione valde exterriti, unanimi confenfu

(a) V. cl. Antonius de Haen-Ratio Medendi P. 3. c. 1.' P. IV. c. 1., & P. V. c. 1.

ſu illam in hoc Regium Senarum Noſocomium commodè tranſtulerunt. Et revera ſupradicta febre eam laborare cognitum eſt, nec non virium proſtratione eſſe affectam, cum magno capitis dolore, ſiti, lingua viſcida, ac mucoſa albicoloris materia coopercta, pulſu inequali, languido, & aliquantiſper parvo cum alvi ſegnitie, & facie nimis ſquallida. Interim ſæpe ſæpius demiſſa voce conquerendo ajebat, ſe trium menſium graviditate laborare.

In hoc rerum ſtatu ad ſitis extintionem præſcripſi aquam nitram, & pulveres Hoff-manni abſorbentes, paratas nempe ex nitro, oculis cancrorum fluviati-

li-

libus, & cinnabaro nativa: nec non ſanguinis miſſio ex alio brachio pariter iterata fuit. Hic vero ſanguis in catino altera die, nempe quinta meis oculis perluſtratus, cruſta glutinoſa, ſummæque conſiſtentiæ æquabiliter coopertus comparuit; atque hac ipſa die jactatio, vigilia, nec non dolores in regione umbilicali acceſſerunt. Juxta quintæ diei finem, pulſus in altum proſiluere cum ſumma vacuitate; noctu vero ſub ſextæ diei curſum, per totum corporis ambitum maculæ intenſi rubri coloris ad nigrum vergentis eruperunt. Abortum prædixi; & revera circa hujuſce ſextæ diei finem, & ſeptimæ principium, diarhea
cum

cum molestissimis torminibus toto abdomine coniuncta supervenit, & noctu ex naribus hæmorhagia aliquatenus copiosa, quæ diarrheam sustulit. Nihilominus vero febris periodus ad propriam, & insitam durationem perduravit; sed maculæ citius evanerunt, & tormina magis, ac magis sævierunt, & crudeliter suum juxta uteri regionem imperium confirmarunt; tamen jactatio cum vigiliis, & convulsionibus in brachiis, ac supradicta diarrhea ad blandam tranquillitatem, emollientium ope, devenerunt. Octavam autem morbi diem sic calamitosè illa transegit. Nona vero dolores sunt aucti, & circa dimi-

diam noctem ſanguis ad pudenda in conſpectum venit, & noctu circa decimi principium, molam carnoſam, magnitudine ovi circiter anſerini edidit cum torminibus, & eo ſanguinis profluvio, ut quam citiſſimè trium ſubſequentium dierum ſpatio plus novem libras profuderit. Subſequenti autem tempore, ac rectius circa decimam tertiam diem, facies nimis collapſa, & Hippocratica, ab ipſomet Hippocrate ſic dicta, comparuit, cum pulſibus vix quidem ſeſe manifeſtantibus, una cum tendinuum ſubſultibus in carpis, & ſumma circulationis inertia. Verum triduo poſt partum, vel proprii hujuſce morbi

deci-

decimatertia die prædicta, juxta noctem crudelis rigor, una cum convulsionibus, & magna jactatione per sesquihoram apparuit; deinceps vero octo post horas nempe, quam abundantissime sudavit, & vix quidem per inferiora; unde ex ipsomet novo morbi statu quam rapidè ventum est ad chinæ chinæ usum. Decima vero quarta die, vel quarta post partum, eadem hora idem crudelis rigor, convulsiones, & sudorum diffusiones per superiora denuo accesserunt; & tandem circa decimæ quartæ diei principium, iterum accessit idem anxiosus rigor febrilis, in cujus dimidio quam rapide jam præmunita Sacrosanctis

Ecclesie actibus, stertendo vitam cum morte commutavit.

Ex hac morbi historia exterritus, avide, & cum ingenti cura ad cadaveris sectionem una cum amicis me ipsum transtuli; & quoniam, ex tota morbi ratione fere omnia symptomata ex viscerum abdominalium labe evenire satis, superque patuit; ideo ab ipsomet abdomine initium fecimus, ac primum sejunctis integumentis, abdominis musculis, & peritoneo, ileum intestinum aliquantisper inflammatum præter naturam, & ab aere tumidum supera modum conspeximus; uterum vero in aspectu externo in trasversum utroque latere magis extensum, ac magis

in ſiniſtra parte: Verum enim vero diſſectum tranſversè circa fundum, curiosè, & magna admiratione oculis perluſtrantes comperimus diviſum eſſe per longum in duas ſejunctas cavitates, interſepti, ſeu columnæ ope, quæ ejuſdem erat ſubſtantiæ, ac uterus, & validioris circa fundum, tenujoriſque in inferiori parte, in qua finem ſuum habebat, priuſquam ad uteri oſculum deveniſſet, ita ut ambæ cavitates ſolummodo hoc in loco in unum confluerent. Siniſtra pars vero aliquantiſper anguſtior dextera, inflammata, & omnia ſpeciatim ſanguifera vaſa, ex quibus conficiuntur parietes, majoris amplitudinis,

nis, & craſſitiei erant: & circa fundum ejuſdem partis, molæ portiuncula adhærebat, quæ erat ejuſdem ſubſtantiæ, ac mola ipſa vitæ tempore in lucem jam edita. Inferior pars vero fere tota gangrenoſa comparuit, juxta nimirum uteri oſculum. In dextera autem parte nil fere, quod ad ipſius ſubſtantiæ alterationem ſpectat, affulſit; ſed quam rugoſa erat, flacida, & laxa, nimiæque capacitatis rexpective, ad totam naturalem uteri amplitudinem, in qua probabiliter unica ex ea nata filia concepta fuit, ac enutrita per totum geſtationis tempus. Tandem partem uteri inferiorem, in qua ambæ inter ſeſe communio-

nionem habebant, valde inflammatam conſpeximus, & hinc inde fædis maculis gangrenoſis circumſperſam, ſpeciatim in oſculi corona, & in qua ſanguis grumefactus, ac fere corruptus libere hærebat, uti etiam aliquid ſibi ſimile in ipſius vaginæ cavitate fœde permanebat.

Hæc ſunt, quæ naturæ obſervatione digna reperimus, itaque ex hoc ipſo naturæ luſu nimia admiratione affecti cætera omnia reliquimus.

OBSERVATIO II.

Villica ad ruſticas operas quam apta, atque ipſis laboribus ſuffulta, temperamenti

ad

ad frigidum, & ſiccum tendentis, poſtquam ad nuptias debita ætate, ac corporis plenitudine, & extentione devenit, quam feliciter varios filios ſuo tempore peperit, videlicet in primo partu unam tantummodo prolem; in ſecundo duos ſatis vegetos, ac pleno corpore efformatos fœtus; in tertio iterum duos pariter vegetos feliciter in lucem edidit; in quarto tres debito tempore, ac feliciter æqua magnitudine donatos edidit, abſque ſenſibili corporis incommodo, ſi excipias tempus graviditatis, & nimiam muſculorum abdominis, integumentorumque, ac uteri diſtentionem; in quinto demum duos filios peperit; ac in

ſexto

ſexto unum ſolummodo; Tandem in ſeptimo pro vero partu, molas nonnullas ſarcomatoſas diverſæ magnitudinis reddidit, ac nonnullæ has inter intus fuere aquoſitatis plenæ, videlicet tenacis lymphæ, viſcoſioris aliquæ, aliæ vero tenujoris conſiſtentiæ. Poſt hæc omnia cum jam ad ætatem maturam perveniſſet uſque ad annos XLIII., cœperunt catamenia parcè, ac tenuiter fluere, quæ ab anno XIV. uſque ad illud tempus ſatis large, ac rubicundè fluxerant: ſequenti vero tempore cœpit laborare morbo cum decolori facie, & totius corporis emaciatione, nec non ſenſu tumoris vagante in ipſamet abdominis cavitate

tate huc, illuc eundo, ac redeundo juxta ſitum, & poſitionem corporis in cubili ſervatum, ſemperque caſtra ſua ſervando juxta propriam gravitatem. In hoc rerum ſtatu catamenia prorſus evanuerunt, ſpatio a primo morbi intuitu quinque menſium circiter, ac alvus quam pertinaciſſime, uti etiam per totum vitæ curſum ſicca facta eſt, ac permanſit, paulatimque totum reliquum corpus ad ſummam emaciationem devenit. Hic vero abdominis tumor curſu temporis ad majorem extentionem eſt perductus in ſuperiore parte; nam ex ima abdominis provenire ſatis, ſuperque manifeſtum fuit, & pauliſper imperium firma-

mavit in toto abdomine, cum contumaci pedum tumore, & urina minore, colorataque, ac ſpeciatim fluctuantes materiæ in regione umbilicali, & Ipogaſtrica tactu deprehendebantur, ita ut nonnulli pro vera aſcite habuerint; ſed attento examine in tangenda regione Epigaſtrica patefiebant variæ, ac diverſimodè diſpoſitæ circumſcriptæ partes duræ, ex quibus Medici, ac Chirurgi, qui etiam pro curioſitate adfuerunt, varium ambiguumque judicium de hoc morbo ferrent: Labentibus vero menſibus, acceſſit pertinax Dyſpnea, & abdomen magis, ac magis intumuit uſque ad nimiam, deformemque preternatu-

naturalem extenſionem, ut videre licet in T. 1., ita ut vulgarem amplitudinem dimidio plus excederet, & pendulum ſuper crura jaceret. In hoc rerum ſtatu naturalis appetitus permanebat cum aliquantula præternaturali ſiti recurrente, & ſpeciatim matutinis horis; at vero pulſus numquam fuit febrilis, ut mihimet retulerunt plures Chirurgi, & ſomnus aliquantiſper placatus fere ſemper permanſit; ſed ob moleſtiſſimum abdominis pondus, extremitates inferiores magis tumidæ, ſeu oedematoſæ, & hinc inde copioſiſſimis Varicibus conſperſæ apparuere, & vacillantes evaſerunt, ut etiam naturæ vires:
Bre-

Breviter dicam, corpus ipſum inſtar ambulantis ſceleti, ſeu oſſium compagis movebatur. Magna illi inerat appetitus privatio cum ſumma virium laſſitudine, & aliquoties corporis jactatione, ac languore. Cum autem eo eſſet corporis habitu, gerendo res aliquas domeſticas per domum, & circa domum monſtruosè obambulando, præter ulteriorem abdominis tumefactionem, externè circumcirca Herpeticæ miliares in Umbilico puſtulæ apparuere, (a) ex quibus copioſa ſeri quantitas continenter promanabat, abſque oeconomiæ utilitate; Et ſic miſerrimè, ac labiorosè vitam tranſe-

 git

(a) V. T. 1. BB.

git obambulando per quatuor annos, & ultra.

In hoc tam vario temporis ſpatio, varii admodum medici, ac chirurgi ad eam inviſendam, etiam libenti animo, ut ego ipſe, interfuere; ſed fere ſolo diligentiſſimi chirurgi Franciſci Chiuſdinenſi conſilio, varia Diuretica, nec non admodum diverſa lenientia interpolatim uſurpare in frequenti uſu habuit, abſque ullo alio auxilio.

Tandem ob ſummam naturæ virium & corporis laſſitudinem in Lecto firmiter fixa jacens per quatuor circiter menſes, nec non atrophia ſuperiorum maxime annexarum partium conſumpta, cadami-

lamitofe, mente tamen integra, ac firmo fpiritu, fponte requifitis, & acceptis facrofantis Ecclefiæ actibus, miferrimè requievit die XXVI. Aprilis MDCCLXVI.

Ex hac perrara morbi hiftoria ad cadaveris fectionem avide cum fociis, & amicis me transtuli; ac primo diligenter filo circumducto menfuram extenfionis ipfiufmet abdominis exploravimus, quæ fuit fupra tertiæ partis ejufdem totius corporis extentionem. Poftea vero ad abdominis fectionem devenimus, & dejectis integumentis, oculis perluftrantes proprios ejufdem abdominis mufculos, graciliores, & laxiores redditos fuiffe, ac per quam exiles com-

esse animadvertimus. Peritoneum vero per quam extensum, ac validius redditum, & substantiæ crassioris: Inde peritoneum introspicientibus apparuit tumor follicolatus, qui anteriore parte cellularis membranæ ope strictè cohærebat, a Chirurgis struma dictus, in quatuor partes divisus, (a) ac communi folliculo circumdatus, quarum pars superior, una cum sinistra, & dextera varios, & admodum diversos folliculos ejusdem speciei, ut videre est in T. II. NN. perinde ac si tales folliculi fuissent fere in fundo undequaque tumoris, diversæ magnitudinis, & consistentiæ: & horum aliqui

(a) V. T. III. F. I. NN.

liqui materiam fuſam continebant, alii tamquam ſebo replicatam, alii albumini ovi ſimiles erant, & alii melli ſimplici ferventi, vel decocto granorum coffè ſaturato ſatis ſuperque diverſimode replicati comparuere: ex quibus ſatis patuit diverſam horum mollitiem, & tenacitatem non ex alio fieri, quam ex varia ejuſdem materiei coadunatione, & conſiſtentia: Hi omnes folliculi firmiter connexi evadebant ope cellularis membranę, & alicujus fibræ carnoſæ ſeu muſcularis invicem intertextæ, in quorum interſtitiis varia admodum vaſa arterioſa, & venoſa exiliſſima intertexta erant; ex quibus probabiliter omnes ſimul comprehenſi

henſi folliculi vitam, & augmentum traxere. Inferior vero pars in tota regione umbilicali firmiter fixa, & aliis connexa folliculis hærebat, imperiumque obtinebat; quam ampliſſima vero ſuperius poſita (a), materiei virulentæ repleta, erat ſimilis partim ſaturatæ decoctioni granorum coffè, & partim melli ſimplici, variæ conſiſtentiæ, & glutinoſitatis: hujuſce materiei pondus ad XL. circiter libras aſcendebat; & proprius ejus, quamvis cum aliis præcitatis, communis folliculus quam craſſus erat, & tractû tractû fere ſubſtantiæ cartilagineæ. Hic magnus tumor intus in parte ſini-

(a) V. T. II. OOOO.

niſtra alium diviſum folliculum continebat, cum ipſomet magno folliculo intertextum albumini ovi ſimili materia repletum. Similiter non diſſimilis alius hærebat in parte ſuperiori, fere in medio ſupradictæ partis lateralis totius tumoris, ut clarius patet in T. III. F. I. L. O. Hic ampliſſimus folliculus in parte ſuperiori, & media quem arctiſſimè adherebat eſternę omenti extremitati; & quoniam partes hujuſce tumoris ſuperiores proprium imperium habebant ſub magno ipſius colon arcu, etiam hoc in loco pluribus locis conjunctus erat cum ipſomet colon, ut videre licet in T. II. L. IIII. In inferiore vero parte ſini-

ſtra ita connexus erat cum ipſamet Tuba Falloppiana ſiniſtra, & muliebri teſticulo, ut ne ſumma quidem cultri diligentia dividi poſſet, & muliebris teſticulus ſpeciatim, vix quidem aliquid veſtigii monſtrabat, abſque ovis circumſcriptus. In dextera parte vero alter muliebris teſticulus (a) liber, ac diviſus cum ipſamet tuba manebat, ſed cum ovis ſcirrhoſis redditis, & mole auctis. Tamdem hic idem magnus, ac communis folliculus, vaſa arterioſa, & venoſa communia ex meſocolon habebat, illo in loco, quo colon ſupra os Ileon ſiniſtrum incurvatur in Inteſtini Recti gratiam. Inter hæc ſanguiflua vaſcu-

(a) V. T. III. F. 1. GG.

vaſcula prædicta non pauca etiam adveniebant ex ipſomet meſorecto vertebras lumbales verſus, & ex ſpermaticis ſpeciatim ſiniſtris, nec non ex lato tubæ ligamento, quod ex ſimilitudine alæ veſpertilionis ab anatomicis veſpertilio, ſeu latum nuncupatur. Ablato ex abdomine ſupradicto tumore, in lucem evenerunt inteſtina aliquantiſper inflammata, & ſpeciatim Ileon inteſtinum, quod totum ſub magno folliculo hærebat cum reliquis omnibus Inteſtinis, ac cum quadam parte ipſius colon in magnæ curvaturæ tractu, & cum omento. Meſenterii vero Glandulæ auctiores comparuere, & fere ad ſcirrhoſitatem translatæ, ex quibus tran-

transſversè percurrentia quędam vaſa lymphatica patentiora vidimus ciſternam verſus directa. Jecur vero naturalis molis, & ſubſtantiæ erat; ſed bilis ipſa in cyſtide collecta, ſubtilior, & dilutior facta erat, & color ejus ad clarum vergebat. Lien vero in ſtatu naturali comparuit, uti etiam Pancreas.

Poſt hæc omnia ad uteri, & vaginæ ſectionem devenimus, ac in interiore ejuſdem vaginæ facie columnam unam perſpeximus ipſiuſmet hymenis adhuc integram eſſe, nec non validiorem, & ampliorem factam: quod vero ſpectat ad vaginæ ſubſtantiam, quam naturalis erat, ſed nimis laxa,

ru-

rugoſior, & ſummæ reſiſtentiæ. Uteri vero ſubſtantia, & magnitudo quam naturalis, ſi fundum excipias, qui in parte ſiniſtra amplior redactus erat. Tubæ vero, ipſarumque fimbriarum ejuſdem partis vix ullum veſtigium erat, ob ſummam cohærentiam cum ipſomet magno folliculo: ejuſdem uteri cavitas vero amplior redacta comparuit, & in aliquibus fimbriis tubę dexterę parvę idatides nonnullæ manifeſtè comparuere, uti etiam in tractu rotundi ligamenti ſiniſtræ partis.

Hæc ſunt, quæ ſolummodo obſervatione digna mihi videbantur.

Hic vero tumor, ſeu potius

ſtruma, utrum ad ipſum muliebrem teſticulum, ſuamet propria origine, pertineat, an vero pertineat ad proprias glandulas lumbales, an ad ipſas meſocoli glandulas, aut meſenterii, non ſatis intelligo: id unum adiiciam, ad primam claſſem potius referri quam veriſimillimum eſſe ex ipſomet alterius muliebris teſticuli ſcirrhoſo ovorum ſtatu, & fere ex ſumma ſiniſtri muliebris teſticuli abolitione; & revera non deſunt apud eruditos obſervata non multum diſſimilia, & ab ipſis practicis auctoribus nobis tradita, & ſpeciatim nuper ab eruditiſs. Alberto Haller in ſuis diſputationibus ad morborum hiſtoriam,

& cu-

& curationem facientibus T. IV. de ſtupendo abdominis tumore §. V. p. 447. &c. Verum ſi cupis b. l. videre qua ratione, & quommodo in mulieribus hujuſmodi tumores fieri poſſint, ne ultra propoſitas leges longus ſim, lege prædictum Albertum Haller l. c. §. XI., & XII. p. 460.

OBSERVATIO III.

FLorida virgo Annorum XIII. circiter, temperamenti ad ſiccum tendentis, & raræ conſtitutionis, poſtquam per duos annos ſucceſſive difficilis reſpirationis morbo laboraſſet, cui febres irregulares ſuperveniebant, & perdu-

durabant per quinque, aut ſeptem dies, una ſemper cum orthopnea, ſeu potius fere catarrho ſuffocativo, (a) tandem hæc omnia recurrendo cum ventris torminibus, & corporis habitu jam facto cachectico, quamvis diverſimode a variis medicis curata, inopinanter a catharrho ſuffocativo perculſa, una cum pulſu exiliſſimo, & ſuperiori reſpiratione, ad ſuperos evaſit XXVI. Dicemb. MDCCLX.

In cadaveris ſectione totam interioris ſui pectoris partem, ac ſtructuram oculis perluſtravimus, una cum totis viſceribus, & vidimus nonnullas bronchiales glandu-

(a) V. cl. Etmullerus Prax. L. I. T. II. S. XIV. c. III; art. IV. p. 215.

dulas ſcirrhoſas radditas, nec non auctiores, ſpeciatim illo in loco biforationis ipſiuſmet tracheæ, in quo ſpecialiter una magnitudinis majoris quam ovi Gallinacei erat diſtenta, & ſepulta in ipſamet tracheæ cavitate, ita ut nonnulli ſemicirculi cartilaginei tracheæ illo in loco contuſi, ac fracti eſſent ex ſumma illius glandulæ compreſſione facta, & ipſi tracheæ parietes interni ad ſummas anguſtias redacti, uti etiam trachea in ſui biforcatione fere foramine carebat (a). Pulmo ipſe in ambabus pectoris cavitatibus quam inflammatus inventus fuit; & cor ſpe-

(b) V. Giorg. Baglivi Prax. Med.

ſpeciatim in ventriculo dextero, auricula, & venæ cavæ ſinu, undequaque prolatum erat, & per quam flaccidiſſimum. Abdomine vero adaperto, nonnullos teretes vermes glomere collectos in jejuno inteſtino ineſſe aperte vidimus; & reliqua omnia in ſtatu naturali conſtituta ſatis ſuperque comparuere: nervorum ſyſthema vero quam flacidum, & laxæ conſtitutionis. Tandem totus ſanguis in propriis vaſis collectus, & ut in communi eſt ſpeciatim in venis, decolor erat, & ſuos grumos, ſeu Polypos in quiete efformatos (a) circa precordia, fere nullius conſi-

(a) V. Andrea Paſta negl' Atti Carogerà T. 30. e 31. De cordis Polypo dubium revocato.

ſiſtentiæ eſſe, & per quam raræ conſtitutionis perſpeximus.

OBSERVATIO IV.

FLorida mulier robuſtæ conſtitutionis, & laboribus dedita XXV. ſuæ ætatis anno ad nuptias ingreſſa, lento, ſed contumaci capitis dolore laborabat cum frigoris ſenſu in interiore capitis parte uſque ad tempus primæ periodicæ purgationis, quod fuit anno ſuæ ætatis XVII. Suo primo graviditatis tempore, ſummo cruciatu dolor eò pervenit, ut tumultuoſum delirium inferret abſque febre, ſed cum pulſuum inertia ſumma, & exilitate, ac non raro cum recurrentibus, diriſque hyſtericis paſſionibus, ſpeciatim in

corporis parte dextera: Tamen Paregoricorum ope, & parcis, repetitisque sanguinis missionibus, aliquanto feliciorem vitam ducebat, ac commode fœtum gestavit, & debito tempore peperit, nec non in pristinum statum rediit, si excipias crudum frigoris sensum in anteriore capitis parte. Itaque prospere repetens sua munia, posteriore anno denuo ad novam gestationem transiit, iterumque per totum graviditatis cursum prædicta symptomata crudelia comparuere, quæ post partum desinebant non tamen sublato supradicto frigoris sensu. Deinceps vero per undecim fere annos ita se habendo, quatuor filios

lios procerosi corporis fortunatè peperit, semper cum prædictis crudelibus symptomatibus. Tandem cecidit in frequentiores, ac crudeliores convulsiones, magisque patentes in dextera corporis parte, ac catemenia, quæ usque adhuc, ac congrui profluxerant, abierunt ætatis suæ XXXVI anno. Itaque crudelibus convulsionibus, & aliquoties acri delirio vexata nullum ex variis medicamentis levamen capiebat, quæ a compluribus medicis adhibita fuere: Quin diræ convulsiones sæpe sæpius per diem, & ferinum delirium recurrebant cum tensis hypocondriis, alvi segnitie, ut plurimum sufficientibus aquosis urinis

& aliquoties Jumentosis redditis, nec non patenti Timpanitide, & siti. Toto hoc prædicto suæ vitæ tempore appetitus semper, ac constanter præsto fuit, uti etiam naturæ vires. Tandem vero auctis, ac frequentius male habentibus totum corpus convulsionibus, miserrimè vitam cum morte commutavit ætatis suæ XXXIX.

Postridie autem ad cadaveris sectionem deveni; & quoniam omnia symptomata ex partium capitis affectione prodierunt, ideo a capitis sectione initium fecimus. Detractis capitis integumentis, pericranium, & ipsum cranium oculis perlustravi, omniaque in statu naturali constituta cognovi; cra-

nium

nium vero ipſum in interna ſui parte, ac in tractu futuræ ſagittalis, varias habere vidi, ac diſſimiles præternaturales excavationes ex variis piſiformis tuberculis in ipſamet duræ-matris externa ſuperficiei exiſtentibus procreatas, ipſumque ſinum, una cum aliis ipſius cranii varicoſum factum, abundantique ſanguine grumefacto repletum, uti etiam varias venas in illud ſe ingerentes. Ablata dura-matre, piam inſpexi, turgidis vaſis nimio ſanguine repletam; aſt aracnoideam membranam cum ipſamet ſubſtantia corticali, ac medullari ipſius cerebri, ac cerebelli nec non pleſſu coroideo in ſtatu naturali conſtitutam eſſe ſatis apertè patuit. Verum e-

nim vero pars anterior ſiniſtra ipſiuſmet cerebri aliquatenus ad majorem magnitudinem redacta exterius videbatur: & revera toto cerebro horizontaliter diviſo juxta ſuos ventriculos, tumor in ipſomet ventriculo ſiniſtro follicolatus comparuit, materiæ glutinoſæ, flaveſcentiſque repletus, & fere non diſſimilis albumini ovi, ipſeque folliculus flaccidiſſimus erat, nam quam facillimè ex ſola ipſiuſmet cerebri compreſſione eſt ruptus. Tumor hic pro maxima ſui parte inerat potius in anteriore ipſius ventriculi portione, & reliqua ſui parte totum fere ventriculum

lum pervadebat usque ad ipsum Ippocampum subiacens (a).

Deinde vero adaperto thorace pleuram, & diaphragma inspexi, in quorum parte dextera, nonnullæ scirrhosæ protuberantiæ, vel substantiæ sibi similes circumspersæ cum variis idatidibus hinc inde positis aperte comparuere; & ipse pulmo inflammatus erat, ac extrema sui parte inferiori, nec non dextera adhęrens ipsimet diaphragmati tractu circiter pollicis uno comparuit: similiter in ipsa pleura dextera serum è propriis

(a) Admodum curiosa est historia Valsalvæ a cl. Joanne Baptista Morgagno nobis enucleat. V. de sesedibus, & causis morbor. per anatomen indagatis. Epist. 1. T. 1. §. 6. p. 6. Et non dissimiles aliæ videri possunt in Bonetti sepulcreto L. 1. S. 11. obs. 8. & seq.

vasibus exclusum, ac vagans inesse vidimus, ponderis circiter librarum quinque. In interiori ipsius pulmonis substantia glandulas bronchiales pro majori sui parte auctas fuisse satis animadverti, nonnullæque cultro divisæ duriores comparuere. Alteram vero pulmonis partem in proprio suo statu naturali constitutam esse patuit, uti etiam cor, & omnia vasa sanguiflua præcordialia, si excipias nonnullum polypum in ventriculis ipsiusmet cordis præesistentem, & reliquum sanguinem magis solutum, ac fluidum.

Abdomine recluso, jecur vidimus substantiæ, ac molis naturalis, uti etiam conclusam bilem

in

in cyſtifellea; ſed ejuſdemet lobus ventriculo ſubiacens aliquatenus inflammatus videbatur. Lien vero, ventriculus, pancreas, omentum, inteſtina, meſenterium ejuſque glandulæ, renes, veſſica urinaria, uterus, muliebres teſticuli &c. ad ſtatum naturalem conſtituta eſſe ſatis patuit. Tandem vero obſervatione mihi dignum viſum fuit ſyſthema muſculare, quod quam gracile totum comparuit, & facillimè, etiam parvis viribus lacerabile: membranam vero cellularem, ſeu magis adipoſam quam divitem eſſe propriæ ſuæ materiæ oleoſæ, ſeu potius ſebaceæ, aperte intuenti conſtabat.

OB-

OBSERVATIO V.

VIr ad cachecticum tendens, olim Galliæ Provinciæ miles, quadraginta fere annos natus, poſtquam Pſoram, ſeu ſcabiem caninam per plures menſes toleravit hyberno tempore, & ſine præcedente ulla corporis præparatione, & conſilio, neſcio, quo medicamentorum uſu, liber evaſit, ac paullo poſt incidit in febrem inflammatoriam cum ſumma reſpirandi anguſtia, atque aſtantium, ac vicinorum pietate in hoc Regium Senarum Noſocomium aſportatus fuit. Hunc ſtatim ego ipſe pervidi, & ferali

Peri-

Peripneummonia cum frequentibus lypotimiis, pulsuque molli, & convulso laborare eum inveni, statimque sanguinem repetitis vicibus per diem detrahendum curavi, & paregorica præscripsi, ac noctu senapismos cruribus apponendos statui; sed incassum omnia adhibita fuere; Nam cum naturæ vires plurimum, etiam in principio debilitatæ essent, quam cito sacrosanctis Ecclesiæ actibus æger munitus fuit; & revera inopinanter secunda morbi die vitam cum morte anxiè commutavit. (a) No-

(a) In coacis habemus — Quod si totus pulmo, una cum corde inflammetur, ut in latus procidat, resolvitur totus æger, jacetque frigidus, & sensus expers.

Notandum vero ægrum hunc hisce duabus suæ aflictæ vitæ diebus, aphonum semper fuisse absque patenti guturis inflammatione, & externo tumore, & totis viribus obsistentem enema præscriptum numquam recipere voluisse.

Altera die in perficienda hujusce cadaveris sectione, in externa abdominis parte, ac regione hypocondriorum dextera, tumorem circumscriptum, magnitudine ovi Gallinacei aspeximus, atque adapertum, respondentem vidimus portioni cavæ, seu inferiori.

pers : Moritur autem secundum, aut tertium diem agens: sin autem sine corde contigerit, idque minus; serius vitam finiunt, & quidam evadunt. -- V. cl. Duretus c. XXI. §. 32. p. 276. & cl. Verna de Pleuritide P. 3. c. IX. p. 77. 78.

ri ipsius jecoris, & ex omenti exclusione efformatum esse absque peritoneo circumcingente, & cum aliquibus glandulis ipsiusmet omenti supra modum auctis: Ex qua omentali Hernia coniicere nobis licuit, aliquot ante annis hoc in loco vulnus eum accepisse longitudine fere duorum pollicum, uti revera ex diligenti externorum integumentorum examine cicatricem animadvertimus; Unde prædictam Herniam originem habuisse ex inconvenienti curantis Chirurgi efformata futura statuimus (a). Deinde

(a) V. Laurent. Heysterus Chirurg. L. I. c. V. p. 100. &c. V. Traitè des operations de Chirurgie Par M. Renè -- jacques croissant de Garengeot. T. 1. de la Gastroraphie Article 1. p. 178. &c.

inde vero alius externus multo minor tumor nobis comparuit sub hypocondrio sinistro, nempe sub liènis positione, qui tumor nil aliud fuit, quam cicatrix adhuc adaperta, cujus parietibus ipsum intestinum colon firmè adhęrebat cum parte sua superiore, atque ipsius ani commodè ex hac parte vicem gerebat. Et revera ex ipsamet sectione veritatem hanc patefecimus: Nam partem inferiorem ipsius intestini colon maximè corrugatam esse, ac planè vacuam, quippe quæ solum muccum intestinalem contineret, ideoque suo muneri pene ineptam esse, ex tota ejus divisione satis patuit. Postea vero jecur ipsum con-

conſpeximus, ac in ſtatu naturali conſtitutum vidimus, ſed ad molem aliquanto majorem redactum, nec non in ipſa ejuſdem jecoris cyſtifellea bilis dilutior nobis comparuit, ac in ejus cavo, duo calculi, glandis magnitudine inerant. Lien vero ſupramodum auctus erat, & per quam ſcirrhoſus, uti etiam ipſum pancreas. Adaperto thorace, pulmonem ſpeciatim ſiniſtrum equabiliter quam inflammatum, turgidumque, & ad maximam reſiſtentiam fere ipſo hepati ſimilem adductum inſpeximus (a), in cu-

(a) V. cl. Joann. Bapt. Morgagni de ſedib., ac cauſis morb. per Anat. indagatis L. II. Epiſt. XXI. §. 23. 27. 28. Et cl. Frid. Hoff-mannus Med. ration. ſyſt.

cujus parte dextera fluitans, flavumque serum in pleuræ capacitate supra libras sex innatabat. Dissecto pericardio, cor ipsum perlustravimus aliquatenus mole auctum, & ubique materia mucoso-flavescente cum forti adhæsione coopertum, & fere purem referente, nec non idem cor summè inflammatum, & in externa superficie ubique fere papillatum comparuit: Per longum vero eodem corde cultro diviso, in suis ventriculis sanguinem vidimus ad nigredinem vergentem, & quammaximè solutum, nec non abundan-

syst. T. IV. P. I. S. II. C. VI. in qua ait §. XII. -- In sectione pulmones inveniuntur inflati duri, instar hepatis, & aquæ fundum petentes &c.

danti copia in auricula, & ventriculo ipsiusmet cordis dextero coacervatum.

OBSERVATIO VI.

VIr procerus, professione Lanius, habitu corporis quam robusto, ac pleno, nec non laboribus, herculeisque viribus dedito, annos quinquaginta circiter natus, quatuor ab hinc annis cœpit cordis palpitationibus laborare, & ferali Hæmoptisi, quibus non raro fluxus hæmorrhoidalis accessit. Sed omnia feliciter evanuere Medicis artificiis, nempe summa corporis quiete, Dieta, nec non parvis, ac repetitis

ſanguinis miſſionibus. Verum enim vero poſt duos annos cecidit in ſerum anaſarca, ex quo pariter feliciter evaſit aptorum remediorum uſu, & paullo poſt iterum incidit in cordis palpitationes, & novam hæmoptiſim tam crudelem, ut corpus movere, & incedere vix quidem poſſet; Itaque brevi temporis ſpatio ad ſummam cachexiam tranſiit cum ſumma totius corporis laxitate coniunctam, viribuſque naturæ proſtratis, ita ut tandem firmiter in lecto jacere ſit coactus cum continua, & lenta febre, & a Domeſticis denique ſit aſportatus in hoc Regium Senarum Noſocomium, in qua per quindecim dies

dies incassum omnia adhibita fuere, quamvis summa cautela, attentione, & cura esset tractatus. Tandem vero summè turgidus per totum ambitum factus, cum sublimi, & laboriosissima respiratione, pulsuque semper, ac constanter irregulari, nec non convulso, opportunè sacrosanctis Ecclesiæ actibus præmunitus, inopinanter, ac stertendo expiravit.

Postera die ad ipsius cadaveris sectionem deveni cum amicis, ac adaperto thorace, serum innatans & admodum flavescens in ambabus thoracis capacitatibus magna copia coadunatum comparuit, sed multo magis in parte dextera. Ipsum pericardium externè perlu-

ſtratum, alter fere pulmo, prima fronte, videbatur pro ſua excedenti mole: Per cultrum vero adapertum ipſum cor contentum fere dupliciter diviſum comparuit, ejuſdemque fibræ muſculares quam laxæ, & tenuiſſimæ conſiſtentiæ comparuere: Per longum deinde diviſo in ſuis ventriculis, dexterum vidi nimia capacitate donatum, & ſiniſtrum fere ſervantem ſtatum naturalem: Ambo ventriculi prædicti turgido ſanguine, & ſoluto, ac fere ad nigredinem vergente repleti erant; & auricula, ſinuſque venæ cavæ ipſius cordis dextera parte in exceſſum dilatati comparuere, ita ut aliud cor ſimul comprehenſum videre-

tur.

tur. In hac præternaturali ampla capacitate plures ſanguinis grumi in circuli formam diſpoſiti, ac invicem poſiti inerant, ſummęque conſiſtentiæ apparebant, in quorum medio prędictus ſanguis, turgidus, ſolutuſque innatabat. Valvulæ ſemilunares arteriæ pulmonaris, & pertinentes ad ipſum dexterum ventriculum prolongatæ aliquatenus erant, & in medio unius non minimus tumor folliculatus manebat, magnitudine nucis avellanæ, & ſebacea materia repletus, ac magna ex parte ipſimet cordis ventriculo ſubiacebat: Similiter in hujuſce cavitate, variæ, & diſſimiles hidatides comparuere uſque ad duodecim, ſpeciatim cir-

ca columnas, aut lacertos ipſius cordis, & valvularum tricuſpidalium, & hæ ipſæ valvulæ quam prolongatę erant. (a) Ipſum pulmonem in ſtatu naturali ſatis comparuit, & ſolummodo intus in parte ſiniſtra ulcus animadvertimus per pollicis tertiæ partis tractum in ipſamet ſubſtantia membranoſa bronchiali ſerpens, & glandulas ſimiliter bronchiales circumſtantes aliquatenus auctas: In perluſtrando ulcere, ſyphonis, & aeris ope, aerem libere protrudi vidimus per duos ſinus in aliquas aereas pulmonis veſſiculas, quibus poſtea cultro diviſis, pus ineſſe patuit.

Abdo-

(a) V. Joan. Bapt. Morgagni l. c. T. 1. L. II. Epiſt. XVII., & XVIII. V. cl. Joan. M. Lanciſi de ſubitaneis mortibus. Obſ.

Abdomine reclufo, jecur confpeximus aliqua magnitudine ubique auctum, fed maxime decoloratum. Ventriculus vero nimiæ capacitatis erat, & fere fupra dimidium. Omentum vero quam pingue cum aliquibus venis varicofis. In mefenterio varices abundantiffimæ fuere, uti etiam in mefocolon, & meforecto: Ipfamet vena cava afcendens, quam ampliffima videbatur, & fanguine fere nigro repleta; fed fupramodum admirabilis fuit vena porta, quæ magnitudine ipfam fere venam cavam æquabat, & omnes ejus propagines varicofas effe afpeximus. Lien vero aliquatenus tumefactus comparuit; & reliqua omnia ad ftatum naturalem quam-

maximè accedebant. Tandem ambitus corporis quam candidus, & laxè conſtructus erat, cum contra in ſtatu naturali potius toroſus fuiſſet, & ſubobſcurus.

OBSERVATIO VII.

VIator quidam Neapolitanus, Annorum circiter quadraginta, temperamenti ad cachexiam tendentis, & pleni habitus, ob ſummam virium laxitatem, ac proſtrationem cum febre, nec non hypocondriorum, Lumborumque dolore, ac tuſſi ſicca, & difficili reſpiratione receptus eſt inter ægrotantes hujuſce Senarum Noſocomii: dicebat autem ſe tempore vi-

vitæ ſuæ obnoxium fuiſſe hæmorrhoidali fluxui periodicè recurrenti poſt binos menſes; ſed jam per duos periodos artis præſidio liber evaſit: Nam ob ſummam hæmorrhoidalem evacuationem in ultima periodo, ad ſpiritus Vitrioli uſum externè, & internè, Chirurgi conſilio ſe contulit, cujus ope quam cito convaluit; at paulatim incidit in difficilem reſpirationem, & lumborum dolorem, nec non appetitus deficientiam, quibus tandem erratica febris acceſſit, podicis dolor cum aliquantulo hæmorrhoidali ſanguine profluente, nec non recurrentes cordis palpitationes. In curatione hujuſce morbi emollientia adhibi-

ta fuere, blanda emmenagoga, & parvæ, sed repetitæ sanguinis emissiones, etiam cum sanguisugis ad venas hæmorrhoidales applicitis; sed labente tempore omnia in pejus ruere cœperunt: Nam cruda, ac feralis tussis accessit cum frequentioribus cordis palpitationibus, nec non exacerbationibus noctis tempore, cum subsequentibus, & particularibus symptomaticis sudoribus, ac laboriosissima respiratione, cum pulsu parvo, & aliquoties intermittente; atque ita laboriosissimè perdurando per mensem circiter cum summa naturæ virium prostratione, & pectoris stertore, tandem postquam aphonia duos dies laborasset,

ſet, jam ſacroſanctis Eccleſiæ actibus præmunitus occubuit.

Poſtridie autem, curioſius pro inquirenda hujuſce morbi, ac mortis cauſa, ad ſectionem devenimus: ac primum diſſecto thorace, magnam ſeri copiam in ambabus pleuræ cavitatibus inveni, ipſaſquemet partes muſculoſas laxiores, ac molliores eſſe ſatis, ſuperque conſpeximus. Pulmo totus vero undique coopertus mucoſa materia apparuit ad quatuor fere linearum craſſitudinem, & ſpeciatim in ipſiuſmet extremis, uſque ad ſex. Quædam hujuſce materiæ quantitas in ferventem aquam injecta, numquam ad ſolutionem devenit, ſed potius in

ſe

ſe ipſa concrevit, & durior evaſit, ac aqua ipſa in eadem claritate permanſit. Similiter aliam æqualem quantitatem in aquam ſimplicem e Puteo extractam immiſi, ac multum permiſcui, eodemque ipſo tempore turbidam fieri pervidi concreta materia ſuper impoſita fere ad fundum ſubſidente: ſic omnia in vaſe vitreo ingeſta ad modicum ignis colorem appoſui, ac retinui uſque ad ſummum hujuſce mixtionis æſtum: Quo facto materiam ipſam fere ad nihilum tranſiviſſe animadverti, & quò æſtuoſior evadebat aqua, eò magis ſolubilem fieri materiam, & per aquæ particulas ita diſſolvi, ut opacitatem æquabi-

bi-

bilem per ipſam maſſam induxerit. Similiter aliam quamdam portiunculam prædictæ materiei ſuper ardentem ignem impoſui, ſtatimque fœtentem ſenſi, fere empireumatico cum odore ipſimet puri, ac virulentiæ non diſſimili (a). Sed ut redeam, unde diſceſſi, Pulmo ipſe per bronchiales ſuas cavitates, ac ipſammet aſperam-arteriam fœtente humore in purem converſo fere undique repletus comparuit. Ipſum pericardium externè pervidi ad nimiam molem perveniſſe, quo per cultrum diſſecto, magnam flaveſcentis ſeri deprehendi portionem, & ipſius cor-

(a) V. Antonius de Haen. Ratio Medendi P. II. C. II.Et cl. Sauvages de Inflammat.

cordis fere duplam magnitudinem. Hujufce auricula dextera, una cum venæ cavæ finu capacitatem duplo majorem habebat , quam intus continere, una cum ambabus ipfius cordis ventriculis, atrum, nigrumque fanguinem, ac vix grumefactum inveni; Dexter autem ventriculus quam amplificatus, five capacitate auctus comparuit, ipfamque parietum fubftantiam laxiorem effe fatis vidimus. Siniftrum vero ventriculum, quamvis ex ipfomet grumefacto fanguine repletum, adhuc effe in ftatu naturali nobis patuit, fi excipias præternaturalem parietum laxitatem. Valvulæ quidem tricufpidales ipfiufmet dexteri cordis ven-

tri-

triculi quam prolungatæ ſuere, uti etiam ipſæ reſpondentes columnæ, ſeu lacerti. Interim in perluſtrandis ſemilunaribus arteriȩ aortæ, unam vidi cum jam ſuppurato tumore non multum amplo, & ori ipſius aortæ reſpondente: In aliis vero duabus valvulis, fere in medio, ac baſi unius, piſiformis tumor, gypſea materia repletus inhærebat, ac proprio folliculo coercitus. Deinde vero diſſecto abdomine, jecur nimiæ molis comparuit, & fere ſupra tertiam partem æquabiliter auctum; In ſua cyſtifællea bilis abundantior inhærebat, ſed nimis mucillaginea, & ad viridem colorem tendens. Tunica externa

ipſius

ipſius jecoris e peritoneo proveniens, nimiæ conſiſtentiæ erat, craſſior, ac albicantior. Truncus ipſe venæ cavæ adſcendens, ſpeciatim in tractu ipſius jecoris, ac Diaphragmatis perforatione, ſeu tranſitu, quam amplificatus, ſeu ſummè varicoſus æquabiliter erat. Lien vero fere duplus videbatur, & per quam laxiſſimus in ſubſtantia comparuit. Ventriculus in ſtatu naturali mihi viſus fuit. Omentum vero quam conſumptum erat, & totum ventriculum verſus coercitum. Meſenterium, ejuſque glandulæ in ſtatu naturali erant, uti etiam pancreas. Verum enim vero totus truncus, ac directio venæ portæ, una cum lienaribus,

me-

mesentericis, Epiploicis &c. venis, ac propaginibus maximè dilatata erant, omniaque varicosa videbantur. Tandem totum corpus quamvis externe rite constructum, auctumqne cum summa partium proportione, quam flaccidissimum erat, speciatim totum systema musculare; Et ipse panniculus adiposus non admodum erat consumptus, sed ipsa adeps nimis diluta, & parvæ resistentiæ apparuit.

Ex hac historia cum corporis sectione vides B. L. quam anomala symptomata, & morborum concursum comparuere, ob solam imprudenter retropulsam hæmorrhoidalem evacuationem!

 OBSER-

OBSERVATIO VIII.

VIrgo annorum decem, & quatuor circiter, pleni habitus, & calidi, ac ſicci, ut ajunt, temperamenti, poſtquam ſeſe in paludoſas aquas ad capiendas ſanguiſugas pluries demerſit, cœpit putrida febre continua laborare cum ſumma corporis laxitudine, capitis dolore, intenſa ſiti, nec non arida lingua, ac pulſu duro acriter urgente; Propterea eadem ipſa die ad Phlebotomiam ex brachio deveni, qui ſanguis detractus expers ſeroſæ partis, & ſummà vividus poſtera die fuit cognitus. Febris vero cum

præ-

prædictis symptomatibus deinceps incalescebat, eoque aliam sanguinis missionem ex alio brachio iteravi, & denuo altera die perlustratus sanguis, æquabiliter obductus crusta alba, tenacique fuit inventus. Ad sitis usum aquam hordei dilutam, aliquantisper acidulatam præscripsi: Tamen anxietas, sitis, & ipse febris impetus ad summum devenerunt. Quarta vero morbi die, exanthemata intensi rubri coloris per ambitum apparuere, & abdomen aliquantisper ad tympanitidem transiit cum hypocondriorum suspensione, alvique mollitie, cum bile vitellina, ac acri. Itaque virgo doloribus undique circumventa, noctem

insomnem duxit, cruciatibusque plenam. Quinta vero die exanthemata patentiora fuerunt, pulsusque elevatiores, ac uno verbo, omnia placidiora videbantur: sed sub medietatem hujusce diei, urinæ ardor absque manifesta causa comparuit, quamvis idem lotium fere ad naturalem statum accederet; Hinc urinæ cruciatus deinde auctior evasit, una cum eadem febri, quæ denuo summum vigorem accepit, una cum alvi segnitie, & tympanitidis exasperatione; Unde coactus fui ad enematum usum confugere. Septima autem die febris recruduit cum prędictis symptomatibus, sed pulsus constanter elevatiores fuerant, oculique

lique tamquam jubar apparuere, una cum naturali facie, & exanthemata abierunt, ac ambæ Parotides ad præternaturalem tumefactionem quam cito devenerunt, & urinæ ardor, immo pudendarum partium ardor ad summum transiit; Ita ut coactus sim demulcentia, & immediatas cum hordei aqua ablutiones sæpe sæpius per diem adhibere. Octava morbi die tendinum subsultus, oculique splendidiores apparuere, & Delirium postea accessit, una cum majori Parotidum inflammatione, ac tumefactione, nec non alvi segnitie, ac constanti hypocondriorum suspensione. Nona vero die anxiè se habuit cum prædi-

ctis ſymptomatibus, & Parotides jam jam ad ſuppurationem acceſſerunt, parteſque pudendorum externæ quam maximè inflammatæ comparuere, una cum ſummo urinæ cruciatu. Decima die omnia firmo pede permanſerunt, & Parotis ſiniſtra jam ad ſtabilem ſuppurationem tranſiit: Eadem etiam die Lanceolæ ope illam reſeravi, magnaque puris pars exivit, cujus ope delirium, & tendinum ſubſultus quievere; ſed non ita accidit, quod ſpectat ad dexteram Parotidem, pudendarumque partium inflammationem, ac febris impetum, qui potius magis, magiſque invaleſcebat. Undecima morbi die omnia ſymptomata in

tran-

tranquillitate fuere, si excipias recurrentes vigilias, & anxietates. Duodecima vero die Parotis dextera jam ad perfectam suppurationem pervenit, ut ex fluctuantibus materiis satis patuit; Et quoniam pudendorum labia simul nimium inflammata conspexi, & ad gangrænam producendam quam proximiora, uti ex ipsomet abolito sensu, & cuticulæ separatione apparuit; Parotidis sectionem prætermisi ad sequentem diem; atque illico externis labiis Avicennæ emplastrum, seu potius cataplasma imposui ad vitæ continuationem, & sacrosanctos Ecclesiæ actus ægrotanti adhiberi jussi, quamvis ægra noctem vere satis

quietam duxiſſet. Decimatertia die ſummo mane lanceola prædictam ſuppuratam Parotidem aperui, ex quâ copioſe verum Pus effluxit; ſed pudendorum labia ad nigredinem potius accedebant, febriſque impetus magis, magiſque invaleſcebat cum pulſu ſublimi, ac molliori, nec non oculorum nitore, & bono faciei habitu. Circa finem vero decimæ quartæ diei febris ad placiditatem rediit, una cum præfatis ſymptomatibus, & ægra noctem duxit multo placidiorem; ſed pudendorum labia ad ſphacellum, ſeu ſiderationem acceſſere, & ſeſe confirmarunt. Tandem ut breviter dicam ab hac metipſa decimaquarta die, ad vigeſi-

gesimam octavam usque febris placidior perduravit, & ipsæmet Parotides jam apertæ perpetuo vero, & copioso pure manarunt, feliciterque sunt expurgatæ ad firmam, ac stabilem usque cicatricem. Externa vero pudendorum labia, una cum propriis Nymphis naturaliter deciderunt, & volsellæ, seu Forficis ope ab intactis partibus rite separata fuere, & solummodo clitoris, una cum vaginæ sacco intacta, ac integra permansit. Totus hujusce curationis cursus solo, ac simplici communi digestivo cum aliquantula mirrha in pulverem redacta absolutus fuit mensium duorum circiter spatio.

Mira-

Mirabile quidem visu fuit, quod externa pudendorum pars cicatrice plane fuerit obducta, quæ satis plana, ac lævigata, nec non continua cum perineo, ac podice videbatur, una cum clytoride distincta, superexpressa, & intacta. Ægra vero pristinum intra prędictum temporis spatium, sanitatis, ac floriditatis statum recuperavit, absque ullo alio corporis nocumento. Verum enim vero duobus circiter annis feliciter in pristinum floriditatis statum transactis in febrem inflammatoriam incidit, intestinorumque gracilium inflammationem, ex qua tandem, nescio quo fato, vitam cum morte commutavit.

Ex hiſtoria hac, quam tibi offero b. l. magnum naturæ artificium miraberis, cujus ſola, ac ſimplici laudabiliſſima methodo ægra illa curata, ac feliciter ab orci faucibus ex tam magno morbo erepta eſt: Quamquam poſtea alio crudiori morbo cum magna hominum diſplicentia e vita deceſſit.

OBSERVATIO IX.

Mulier toroſæ conſtitutionis, Annos fere quinquaginta, & octo nata, temperamenti ad calidum, & ſiccum tendentis, & ad laborem aſſueta, quæ ſuo tempore feliciter, ac legitimà plures Fi-

Filios pepererat, cœpit molestissimis doloribus laborare in toto abdomine cum hypocondriorum tentione, una cum diris hystericis convulsionibus, & tympanitide, nec non cum febre erratica tertio, & aliquoties quinto quoque die superveniente, ac pudendarum partium albo, seu potius seroso, nimisque fœtente, ac pertinaci fluxu, cum earumdem partium ardore, nec non gravi, ac continuo pondere in pelvi regione, absque graviditatis suspicione, externarumque partium exulceratione. Notandum vero, quod plerumque supradictarum symptomatum congeries ex copiosiore prædicto fluxu evanescebat. Post quatuor fere hujusmo-

modi laborioſos menſes, quotidiana febris acceſſit cum manifeſto horroris ſenſu, noctu incrudeſcente, cum continuo partium pudendarum, & uteri cruciatu, ac pondere, ita ut corpus ad ſummam emaciationem quam cito fuerit perductum.

Ex hac metipſa ad hunc uſque locum hiſtoria ſatis, ſuperque patet morbum illum ad uteri exulcerationem referri potuiſſe, & revera eo nomine morbus ille remediis cum externis, tum internis curatus fuit; ſed incaſſum per tres fere annos a variis medicis domi percurata, tandem ad noſocomium hoc tranſlata fuit, ubi ad ſummam naturæ virium & cor-

po-

poris imbecillitatem redacta, ac consumpta, quam placidissimè pertractata fuit. Nihilominus vomitus accessit, una cum febre continua, & convulsionibus, quibus fere perpetuo exagitata, peractis Sacrosanctis Ecclesiæ actibus, anxiè requievit mense Octobris MDCCLX.

Postea vero ad cadaveris sectionem deveni; & quoniam ex tota symptomatum caterva, morbi sedes in abdomine, & speciatim uteri parte unanimi consensu credebatur; Ideo ab hac ipsa parte sectionis initium feci. Reclusis igitur integumentis, & musculis carne exutis ipsius abdominis cum peritoneo, in sui anteriore parte

in

in profpectum venit ipfum Omentum quam maxime confumptum, nec non exulceratum undequaque, ita ut vix pro tertia fui parte confpiceretur, & non minima puris pars inteftinis fupernatans comparuit quam fœtentiffima. Jecur vero mole auctum, & fubftantia aliquantifper immutatum vifum fuit, fpeciatim in lobo anteriori ipfi ventriculo fuperjacente. Inteftina præfertim tenuja, quam turgidiffima, & ab aere rarefacto fuere; Et ipfæmet mefenterii glandulæ pro majore fui parte ad fcirrhofitatem redactæ, & fupra modum auctæ, quales etiam fuere lymphaticæ lumbales glandulæ, & aliquantifper ipfum pancreas. Am-

bo

bo vero muliebres testiculi supra triplum adaucti videbantur, inequales, & sparsim quammaxime turgiduli, tactuique resistentes, quibus cultro dissectis, fere omnes ovumculos materia alba, & glutinosa, ac fere gypsea repletos aspexi, suosque folliculos hic, illic fere ad cartilagineam substantiam redactos fuisse animadverti. In dextera autem testiculorum parte, præter prædicta, tres seorsim distinctæ hydatides comparuere e propria ipsius testiculi substantia prodeuntes, magnitudine supra duplum ovi Gallinacei, cum folliculo minimæ resistentiæ. Uterum vero, quod ad molem attinet, magnitudinem, & substan-

tiam,

tiam, ad naturalem statum accedere satis, superque patuit.

Per longum vero dissecto foedum ulcus in cervice comparuit, totam internam superficiem comprehendens, absque ulla ipsius vaginæ læsione, uti postea patuit ex diligenti examine, etiam per nitidissima vitrea instrumenta. Ulcus hoc serpens, nigris maculis fere undequaque coopertum videbatur, & aliquantum digitis compressum foetidissimo humore fluxit; Verum in hujus fere medietate, & posteriori congruente ipsius parte, portiunculam gangrenosam adesse ex suamet substantia, profunditate, & scabra superficie, satis patuit. Quod vero tandem

notatu dignum ſuit, Cadaver toto externo ambitu conſumptum apparuit, & muſculares partes quam graciles fuere, nimiæque conſiſtentiæ, & quam cito putreſcentes.

OBSERVATIO X.

MUlier quædam fuit fere octogenaria paupercula, habitu corporis macilento, & imbecillo, ſtaturæque mediocris, quæ vili, & exiguo victui aſſueta vitam ex ſola fidelium pietate pluribus ab hinc annis ægerrimè ſuſtentabat. Hæc ſumma corporis debilitate conſumpta, Fidelium ſubſidio ad Noſocomium hoc Regium

gium

gium Senarum fuit aſportata, in quo abſque febre ſenſibili intra menſem propria naturæ lege e vitá migravit.

Poſtridie vero devecto ejus cadavere in Theatrum anatomicum ad perquirendas, & præparandas mulierum partes genitales, ſtudioſorum Juvenum cauſa, in teſticulo dextero hujus corporis, & fere in ejus centro inequalis tumor inventus fuit externè albicans, & ſubdurus, magnitudine major ovo anſerino; ac cum folliculo tenacioris texturæ, & hic illic fere ad cartilagineam duritiem redacto. Diſſectum hunc folliculum vidi repletum eſſe glutinoſa materia, ſeu potius unctuoſa, atque ad

minima grana seorsim redacta, & æquabiliter albescente, in cujus centro magna pilorum quantitas aderat, non dissimilium illis, qui in pube adhuc inerant. (a) Quod vero mirabilius fuit, omnes hi Pili centrum versus reclinati, & fere simul in glomerem circinnati comparuere, ut videre est in T. III. F. II. OOOO. Hanc granosam materiam, & fere sebaceam facile in aqua solubilem fieri cognovi, idque facilius in ferventi aqua, & absque aliquo fœtore semper comparuit.

Ex hoc ipso morbo, casu invento, curiosius ad vitæ cursum hujusce mulieris exquirendum sum-

ma

(a) V. cl. Guilhelm. Fabricius Hildanus Cent. V. Obs. XLVIII. p. 435.

ma diligentia me contuli, ... riumque hominum historiis colle-gi, mulierem hanc debita ætate, corporisque plenitudine, & statura ad Nuptias devenisse, & per duodecim fere annorum cursum, naturaliter, & quam felicissimè duos solummodo filios peperisse, semperque florentem vitam duxisse; Marito igitur morte prærepto, paulo post illa ad secundas nuptias, transiit in quo statu numquam gestavit, & vitam quam miserrimam duxit per sæpe repletam, & fere obrutam animi pathematibus, cum crudelissimis hystericis convulsionibus, & miserabilissimo victu. Verum post decem, & septem annos hic secun-

dus coniux e vita deceſſit; & ex illo tempore caſte vitam duxit uſque ad ſenectutem, & mortem; ſed ſæpe ſæpius in ſtatu hoc artritide morbo laboravit, ſummis cruciatibus vexata, ac proprii victus neceſsarii defectu anxiè perturbata.

Hæc ſunt, quæ ſumma induſtria, & diligentia colligere potui, ut intelligeretur, quod revera ex ipſamet experientia duce, & Celeberrimorum Scriptorum autoritate conſtat, hujuſmodi tumores cauſam ducere ex animi pathematibus, & inepto victu, ſpeciatim farinoſo, & pultaceo (a).

Quid

(a) V. Schenchius Obſ. Med. L. IV. de Mulierum vaſis ſpermaticis, & Teſticulis Obſ. 2. V. cl.

Quid vero de miris hisce tumoribus sentiant curiosi, dicam cum Paulino (a) -- Mihi satius est discere, quam dicere; -- & ut
„ nobis innuit Cl. Wan-swieten (b) sufficit enim Medico
„ novisse quid fiat in corpore,
„ licet rationem facti non semper liquido intelligat.

EXPLI-

V. cl. Tyson collect. Philosoph. Anglic. n. 2.

V. Horstius L. IV. De Morbis infimi Ventris Obs. LIII.

V. Sennertus L. IV. P. I. S. II. C. XX. ex Joanne Bauchino.

V. cl. Albertus Haller in Disputationibus ad Morborum historiam, & curam facientibus T. IV. p. 477. &c.

(a) V. Ephemer. Naturæ curios. Decas I. Ann. VIII. p. 183.

(b) V. Comm. ad cl. Boerhave §. 1329. T. VIII. p. 219.

Explicatio Tab. I.

AAAA. *Totum abdomen ad nimiam, ac præternaturalem extensionem, nec non monstruosè redactum.*

BB. *Herpeticas pustulas circum circa umbilicum positas, ex quibus continuè copiosum serum profluebat.*

CC. *Brachia ad medium fere humerum dissecta.*

DD. *Crura ad Genua recta.*

Explicatio Tab. II.

IN *qua demonstratur totus folliculatus tumor horizontaliter dissectus, ut magis, ac magis pateat*

teat sua interior substantia, & multò diversi interni folliculi cohærciti.

AAAA. *Cuticula, cum cute simul avulsa, & exterius posita.*

BBBB. *Panniculus adiposus multò consumptus, & fere ad meram membranam cellularem redactus.*

CCCC *Proprii ipsius abdominis musculi summè consumpti, & laxi, una cum peritoneo.*

DD. *Crura ad Genua dissecta.*

EE *Brachia ac fere medium humerum resecta.*

F. *Jecur cum vessica fellea in sua naturali positione sub spuriis costis in latere dextero detentum.*

G. *Ventriculus sub Diaphragmate positus in latere sinistro, & aliquan-*

quantisper sublevatus, ut pateat.

g *Ipsum Pancreas subiacens.*

H. *Lien in latere sinistro sub costis spuriis.*

IIII. *Intestinum colon in sua naturali positione huc illuc coalescens cum externo folliculo, & superiori magni tumoris, & reliqua sui portio, una cum aliis intestinis omnes cooperti, & subiacentes ipso tumori erant*

LLLL. *Totus tumor folliculatus orizontaliter divisus, ut magis pateat interior ejus substantia in variis tot folliculatis tumoribus divisa.*

MMMM. *Varii folliculi exterius in communi magno folliculo retenti.*

Va-

NNNNN. *Varii, & admodum diversi folliculi, cùm in forma, tum in substantia, ex quibus conficiebatur fere tota interna tumoris compages, & admodum diversæ materiei repleti.*

OOOO. *Ampla, ac superior cavitas ipsius tumoris materiei virulentæ repleta, partim saturatæ decoctioni granorum coffè, & partim melli simplici, variæ consistentiæ, & glutinositatis, ad pondus circiter librarum XL.*

Explicatio Tab. III. F. I.

A. U*Terus, cujus fundus præter naturam expansus est sub magno tumore. Va-*

BB. *Vagina magis expensa, & rugosa, & juxta longitudinem per dimidium secta.*

C. *Uteri osculum.*

DD. *Rugę ipsius Vaginę interius positę*

EE. *Rotundum ligamentum sinistrum ex uteri fundo proveniens.*

FF. *Tuba Faloppiana sinistra.*

f. f. *Laciniæ ipsius tubæ in externo orificio positæ.*

GG. *Testiculus muliebris, sinister cum suo ovario, ovulisque scirrhosis, ac patentioribus redditis.*

H. *Arteria spermatica sinistra ab exortu ad testem, tubam, & uteri fundum desinens.*

I. *Vena spermatica sinistra.*

L. *Ligamentum uteri latum, alis* Ve-

Vespertilionum Anatomicis assimilatum, per quod spermatica vasa ad tubam disseminantur.

MM. *Arteriæ, & venæ hypogastricæ per uterum &c. divaricantes.*

NN. *Magnus tumor folliculatus totam abdominis anteriorem partem occupans, & aliquantisper sublevatus, & externè in quatuor partes divisus.*

OOOOOO. *Varii similiter parvi folliculati tumores sparsim per communem folliculum contenti, & cohærciti, ac repleti, ut plurimum, ex humore albumini ovi simili.*

PP. *Varii folliculi intus retenti in magno folliculo, & positi in fun-*

fundo ipſius magni tumoris, nec non repleti ex variis humoribus diverſæ conſiſtentiæ; Ac tubę dexterę arcte connexi cum exteriori communi folliculo: uti inter ſe ope cellularis membranæ, & alicujus muſcularis fibræ, nec non vaſorum ſanguiferorum.

QQQQ. *Vaſa arterioſa, & venoſa promiſcuè ſerpentia per communem folliculum externè, & internè, ex quibus totus tumor nutriebatur.*

Explicatio Tab. III. F. II.

I*N qua folliculatus tumor in octogenariæ dextero teſticulo caſu inventus, demonſtratur.*

A. *Uteri fundus in ſua naturali, & anteriori poſitione.*

B. *Uteri cervix.*

C. *Uteri oſculum.*

DD. *Rugæ ipſius vaginæ.*

EE. *Arteriæ, & venæ hypogaſtricæ per uterum divaricantes.*

FF. *Rotundi ligamenti ipſius uteri ex utraque parte.*

GG. *Venæ ſpermaticæ ex utraque parte inferius translatæ.*

HH. *Arteriæ pariter ſpermaticæ ab ex ortu ad teſtes, tubas, & uteri fundum deſinentes.*

II. *Muliebris teſticulus ſiniſter fere in ſtatu naturali.*

MMMM. *Folliculus membranoſus ipſius tumoris in ſitu naturali, ſummæ reſiſtentiæ donatus, & in parte dextera poſitus.* N.

N. *Idem folliculus divisus, ac detractus, ut facilius tumoris cavum inspici possit.*

OOOO. *Substantia ipsius tumoris undique repleta ex materia sebacea granosa, una cum pilis simul fere in glomerem circinnatis, speciatim in medio.*

PPPP. *Tubæ Faloppianæ ipsius uteri ex utraque parte.*

QQ. *Ligamentum latum sinistrum uteri, alis Vespertilionum Anatomicis assimilatum.*


LLLL. *Laciniæ membranosæ ipsarum Tubarum ex utraque parte.*

IN-


INDEX OBSERVATIONUM.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 4. v. 13. suscipere	suspicere
11. v. 15. sana	sanè
33. nota I.	T.
37. v. 2. replicatam	repletam
37. v. 6. replicati	repleti
39 v. 9. L. I.	L. O.
47. v. 1. radditas	redditas
51. v. 8, congrui	congruè
77. v. 10. ac ipsammet	ac per ipsammet
98. v. 4. nimiæque	minimæque
103. v. 7. fido	fiat.

Tab: I



Tab: II



Tab.



